



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Maditatio CCCXX. Didrachma pro Christo solvitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

MEDITATIO CCCXX.

Didrachma pro Christo solvitur.

Matth. 17. v. 23.

PUNCTUM I. *Et cum venisset Capharnaum, accesserunt, qui didrachma accipiebant (id est, Collectores tributi Cæsari à Judæis pendendi) ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma? Ait: etiam.* Ex assertione Petri constat, etiam Christum solitum esse solvere tributum, pro consueto subjectionis signo pendendum. Si ergo Filius DEI, Rex Regum, & Dominus Dominantium, homini gentili, & inimico DEI externa tributi pensione se submittere voluit, quo tamen in omnibus superior erat; quanto magis nos nostris Majoribus, etiam si, excepto officio, in reliquis omnibus illos superare videamur, debitæ Obedientiæ, Observantiæ, Timoris, & Amoris tributum pendere debemus? unde S. Petrus Epist. 1. c. 2. v. 13. Fideles adhortatur: *Subiecti igitur estote omni humanae creaturæ propter DEUM: sive Regi, quasi præcellenti: sive Ducibus, tanquam ab eo missis &c. Subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis, & modestis, sed etiam dyscolis.* Imò etiam illis, quibus subditi non sumus, submissionis signa exhibenda sunt, hortante Paulo, Rom. 12. v. 10. *Charitate fraternitatis invicem diligentes: honore invicem prævenientes.* Disce quoque à Christo, nolle eximi à communibus oneribus, nullòque exemptionis, vel singularitatis privilegio uti.

PUNCT. II. *Et cum intrasset in domum, prævenit eum JESVS, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ,*
à qui-

à quibus accipiunt tributum, vel censum? à filiis suis, an à alienis? Et ille dixit: *Ab alienis.* Dixit illi **IESVS**: *Erronei beris sunt filij.* Ex quo inferendum Christus Petro reliquebat, multò magis se liberum esse, tanquam multò minùs serviliter subjectum, quàm sint filij; & tanquam Filium eius, à quo omnis Potestas in homines derivatur. *Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tollit & aperto ore ejus invenies staterem: illum sumens, da eum pro me, & te.* Sic, præsertim in Religiosa Communitate, exactæ Observantiæ omnium Regularum, & Ordinationum, quamvis non obligantium sub peccato, exemplum præstandum est, & omne transgressio nis, etiam falsò tantùm apparentis, scandalum vitandum, idque vel maximè ab ipsis Superioribus; quaproinde ut caveret Christus, mox primi piscis capturâ, & insigni Miraculo id impedire voluit.

PUNCT. III. Considera, quemadmodum Christus pro Petro Cæsari solvit tributum, ita eundem Cælesti Patri pro nobis solvisse pretium debitæ Satisfactionis pro nostris peccatis. Perpende itaque, quantò hoc sit Beneficium & Pretium majus illo; & quid pro eo rependere debeas. Stude etiam DEO non tantùm pro te, sed etiam pro Proximo tributum debitæ Gratitude pro Beneficijs, ac debitæ Satisfactionis pro peccatis persolvere. Cogita insuper piscationem istam materialem S. Petri, symbolum & figuram esse Piscationis Spiritualis, quâ Piscatores hominum cum S. Petro effecti in Piscibus suis Spiritualibus inveniunt Staterem, quem DEO pro suorum & alienorum peccatorum Satisfactione persolvant. Sic enim scribit S. Jacobus in Epist. c. 5. v. 20. *Qui converti fecerit peccatores*

catorem ab errore via sua, salvabit Animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Sic etiam Animæ, ex Stagno ignis ardentis extractæ, in ore suo Staterem continent, quem Oratione sua, & Patrocinio apud DEVM exhibent.

MEDITATIO CCCXXI.

Discipuli de Primatu contendunt.

Matth. 18. v. 1. Marc. 9. v. 32. Luc. 9. v. 46.

PUNCTUM I. *Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum major esset. At JESVS videns cogitationes illorum &c. Luc. 9. v. 46. Cùm domi essent, interrogavit eos: quid in via tractabatis? At illi tacebant. Siquidem in via inter se disputaverant, quis eorum major esset. Marc. 9. v. 32.* Ter Discipuli de Primatu contendisse leguntur: primò locis citatis; tum apud Matthæum c. 20. v. 20. denique apud Lucam c. 22. v. 24. Unde patet, quomodo etiam viri Perfectionis studiosi sibi cavere, & frequenter pugnare debeant contra superbiam, & emnendi appetitum. In primis ergo cùm quasi à longè irreperere tentat cogitatio emnendi super alios, mox occludendus est aditus; qui si concessus illi aliquando sit, mox æmulationem, dissensionem, & contentionem parit. Itaque post hæc sic denuo expellenda est. Inijciendus primò est pudor de ipsa superbia; quem admodum Christus Discipulis iniecit, dum ostendit ipsis, se cogitationes eorum vidisse, & contentionem audivisse, & de hac ipsa tamen quæsit, non quasi ignorans, sed quasi turpitudinem exprobrans. Unde mox puduit Discipulos, nec ausi sunt respondere; nam